

Ad quartum dicendum est quod propositum, prout oritur ex odio peccati, quod sit vel ex amore vel metu, continet virtualiter detestationem peccati praeteriti, etsi de eo non cogitetur; sed illud continet propter odium peccati a quo procedit; odium autem est detestatio peccati; et qui peccatum detestatur, paratus est animo detestari sua peccata praeterita, si ea recordetur. At propositum per se abstinendi in futurum ab aliqua re non includit detestationem actuum praeteritorum; sic qui nunc vult pauperem vitam agere, non ideo detestatur priorem vitam actam in divitiis. Itaque detestatio peccati ex motivo universali continet semper et ex se propositum: at propositum neque ex se neque semper continet detestationem et dolorem. Idecirco liquet ea non esse paria.

Dices: ergo si adsit odium peccati et propositum non peccandi, id sufficit et si non habeatur formalis detestatio peccati praeteriti? Respondeo distinguendo; si odium peccati sit ex amore Dei, et peccati praeteriti memoria non occurrat, tunc sufficit, est enim contritio virtualis. Si autem odium peccati sit ex motivo inferiori proprio attritionis, ad remissionem peccati requiritur Sacramentum; ad hoc autem exigitur confessio peccati praeteriti, quacum memoria peccati certe existit, et quae dolorosa esse debet; unde in Sacramento non potest praescindi a detestatione formali peccati.

Docemus 3) quod cum advertit animus ad futurum et possibilitatem peccandi in futuro, si non ponit explicite actum propositi, argumentum est veram detestationem peccati in animo non existere.

Ratio est, quia nulla potest esse ratio cur non ponatur actus propositi, nisi haec, nempe quia deest verus dolor. Nam existente detestatione peccati et ea actuali cogitatione, adsunt omnia determinativa explicationis actualis illius actus, qui implicite in detestatione continebatur; quid enim amplius desiderari potest? Atqui existentibus omnibus determinativis, exercitium facultatis sponte et naturaliter sequitur; ergo. Et advertit quod non amplius agitur de aliquo actu, ad quem voluntas sit indifferens; nam iam voluntas se determinavit ad propositum non peccandi cum se determinaverit ad id quod est propositum virtuale et ita se determinavit, ut haec fuerit habitualis animi dispositio, si possit poni formalis actus propositi, poneretur: cum ergo potestas adest, necesse est ut actu sit.

Dices, licet voluntas non sit amplius indifferens quoad specificationem actus, est tamen adhuc indifferens quoad exercitium, atque potest detestando peccatum abstinere ab actu propositi hac ratione, quia ille actus non est necessarius, cum sufficiat propositum virtuale.

Respondeo primo quod indifferentia exercitii tollitur eo ipso quod existunt determinativa exercitii facultatis; quod quidem exercitium

liberum est, quia voluntas libere detestata est peccatum, seque libere in ea dispositione posuit, qua abhorreat ab omni peccato postea committendo; sed hac dispositione existente et accedente cogitatione futuri peccati possibilis, cum aliquis actus voluntatis hanc cogitationem consequi debeat (ut ex philosophia supponimus), non potest sequi nisi actus explicitus propositi non peccandi.

Respondeo II: dato etiam modo quod propositum non sit necessarium ex lege aut institutione divina, haec tamen non est ratio sufficiens cur non ponatur actus; nam cum adsunt determinativa actus, sive ille sit ethice debitus, sive non, existit necessitate naturali. Praeterea ut in his adiunctis non existeret actus explicitus propositi, oporteret voluntatem positive se opponere et hunc actum elicere, *nolo proponere explicite*; secus enim sponte consequitur actus propositi: at advertit quod ille actus non debet excludere detestationem peccati et propositum virtuale. Verum ut ille actus non excludat detestationem peccati et propositum virtuale, debet esse talis, ut aequivalet huic: quamvis nolim amplius peccare, nolo tamen id explicite proponere; atqui si actus aequivalet huic, in hoc ipso exercitio facultatis iam continetur, licet minus distincte, propositum non peccandi; ergo. Quocirca poterit quidem huiusmodi propositum verbis exterioribus aut etiam interioribus non exprimi, at semper in iis adiunctis actus existet voluntatis, quo ipsa abhorreat a peccatis futuris apprehensis; hic autem est actus formalis propositi. Ergo si in iis adiunctis propositum formale deest, dicenda est deesse quoque detestatio peccati.

Corollarium. Cum propositum sit pars essentialis contritionis disponentis ad iustificationem, illud necessarium est ea necessitate medii et praecepti, qua necessaria est contritio, sive propositum formale sive saltem virtuale.

THESIS XXI.

(q. 1. aa. 2. 3.)

Cum multiplex possit ratione habita motivi distingui contritio, ratione habita effectus duplex tantum species contritionis distingui solet, perfecta nempe, quae citra Sacramenti realem usum hominem Deo reconciliat, et imperfecta, quae sine Sacramento id nequit praestare: eaque contritio proprie dicitur, haec proprio nomine attritio vocatur. Illa ex amore Dei, haec ex timore poenarum vel desiderio beatitudinis vel turpitudine peccati concipi dicitur.

1. Contritio definitur: dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Ubi vidimus duos indicari

actus, alterum erga peccatum praeteritum, alterum erga ea, quae possunt esse futura. Vides quoque nullum in hac definitione speciale significari motivum; licet enim sine aliquo motivo nequeat esse contritio, essentia tamen eius in detestatione et proposito sita est.

II. Nihil aliud modo quam huius Theses declarationem praestare possumus; demonstratio enim continebitur iis omnibus, quae in hoc capite dicentur, eaque supponenda essent, ut doctrina huius thesisi demonstraretur. Declaramus ergo terminos secundum notionem communem Theologorum.

Iam vidimus in Thesi IV et V ex pluribus motivis determinari posse detestationem peccati eamque posse esse actum plurium diversarum virtutum, inter quas ea, quae intendit compensationem offensae seu iuris divini violati, speciali ratione poenitentia dicitur; ceterae vero poenitentia dicuntur, quatenus sub proprio motivo peccatum detestantur; unde non eodem modo, sed analogice poenitentiae nomen competit iisdem, licet ex his perfectior esse possit actus illius virtutis, quae non sit formaliter poenitentia. Hinc fieri potest divisio quaedam analogica detestationis peccati sive contritionis secundum diversa motiva, a quibus determinatur, sive secundum diversas virtutes, a quibus elicitur.

Nihilominus sollemnis est divisio contritionis in duo membra opposita privative, nempe in contritionem *perfectam* et *imperfectam*. Divisio haec petitur proprie ex effectu. Cum nimirum contritio eo spectet, ut hominem disponat ad reconciliationem cum Deo, ea contritio dicitur perfecta, quae id ex se sola assequitur, .h. e. absque reali usu Sacramenti: quae autem non sufficit ex se sola ad hoc, dicitur imperfecta. Solent quidam eius divisionis rationem petere ex motivis diversis: verum 1) cur ad contritionem imperfectam revocas detestationem peccati sive ex motivo timoris sive ex motivo spei sive ex motivo turpitudinis peccati, cum sint motiva formaliter diversa? quia nimirum nulla ex his detestationibus par est ex se sola ad reconciliandum hominem cum Deo: spectas ergo illas sub ratione effectus, quem edunt, easque omnes appellas contritionem imperfectam, quia sine Sacramento non iustificant.

Tum 2) Theologorum consensus nobis suffragatur. Sane s. Thomas heic a. 1. explicata metaphora *contritionis*, ait, quod « actus ille quo peccatum dimittitur, contritio dicitur ». Ita Scholastici, quorum modum cogitandi exhibet Lugus Disp. V. Sect. 1. « Contritionis (quam perfectam vocat) nomine intelligimus dolorem de peccatis, non utcumque, sed illum, qui propter suam perfectionem disponit ultimo ad gratiam iustificationis etiam extra Sacramentum ». Hinc si probaretur praeter detestationem peccati ex motivo amoris, aliam

quoque conceptam ex alio motivo, puta iustitiae, disponere ultimo ad iustificationem citra usum Sacramenti, concederent Scholastici, eam quoque esse contritionem perfectam. Lege Lugum ibid.

Contritio perfecta retinet tanquam proprium nomen *contritionis*, imperfecta dicitur proprie *attritio*. Ratio huius metaphoricae appellationis traditur heic a s. Thoma, a. 1: « Inter fractionem et comminutionem sive contritionem in rebus materialibus, unde haec nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, quod frangi dicuntur aliqua, quando in magnas partes dividuntur, sed comminui vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc, quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur, quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem et soliditatem in sensu suo habebat, ideo actus ille, quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem: et a. 2. ad 2^a. « attritio dicitur accessum ad perfectam contritionem; unde in corporalibus dicuntur attrita, quae aliquo modo diminuta sunt, sed non adhuc perfecte sunt comminuta; sed contrita dicuntur quando omnes partes tritae sunt simul per divisionem ad minima. Et ideo significat attritio in spiritualibus quandam displicentiam de peccatis commissis sed non perfectam, contritio autem perfectam ».

Convenit inter omnes motivum contritionis esse Deum per se super omnia dilectum: utrum vero aliud sit motivum praeter hoc, disputabimus breviter deinceps. Motiva attritionis enumeravit Concilium Tridentinum Sess. XIV. cp. 4. revocans ea ad duo, nempe timorem poenarum, cum quo intelligendus est quoque amor, sive desiderium beatitudinis (cf. cn. 5), ac turpitudinem peccati. De his loquemur cum de attritione speciatim. Nunc satis sit haec advertere. 1) Omnia motiva contritionis revocari posse ad ea, quae enumerantur a Tridentino. Nam cum in peccato non sit nisi culpa et poena, peccatum detestatur homo vel ratione culpae vel ratione poenae. Si detestatur ratione culpae, motivum detestationis erit turpitudine seu malitia peccati, quae detestatio a pluribus virtutibus, quibus peccatum opponitur, elici aut imperari potest, et si eliciatur aut imperetur a caritate, erit perfecta contritio, si ab alia virtute, erit saltem attritio. Si vero detestetur homo peccatum ratione mali, quod inducit, hoc vel est poena a Deo inflictis, aeterna aut temporalis, aut privatio beatitudinis; ideoque motivum eius erit timor aut spes vel desiderium. 2) Concilio Tridentino non adversari s. Thomam qui III p. q. LXXXV. a. 5. ad 1. contritionem ortam ex consideratione turpitudinis peccati adserit caritati; spectat enim turpitudinem eam peccati, qua peccatum divinae bonitati opponitur propter se dilectae; nam loquitur de poenitentia ibi iustificante sine Sacramento.

Nota penes veteres attritionem quoque dici eam, quae est displicentia peccati, quatenus est offensa Dei, sed ex velleitate, non ex voluntate absoluta et efficaci, habet scilicet imperfectum desiderium placendi Deo et dimittendi peccatum. Cf. Cano. Rel. Poenit. P. III. Id modo monuisse sufficiat.

§. II.

De efficacia contritionis perfectae.

Quoniam amor contritionem perfectam gignit, notionem aliquam amoris Dei heic adumbrare in quaestionis ingressu non pigebit. Itaque

THESIS XXII.

(2^o. 2^o. qq. XXIII. et XXVII.)

Actus amoris erga Deum multiplex distingui potest, nimirum amor non formaliter talis, sed materialiter potius, ratione nempe rei volitae: amor, qui sit complacentia quaedam, licet inefficax, divinae bonitatis: amor quasi concupiscentiae seu potius familiaritatis, qui et amor imperfectus amicitiae dici potest, quo diligitur divina bonitas prout bona est diligenti: amor perfectus amicitiae, quo diligitur divina bonitas propter se ipsam, seu quia est in se infinite bona. Hic autem amor amicitiae ut fundamentum supponit Deum amatum esse bonum amanti; eiusque formale motivum non excludit respectum ad Deum amatum ut bonum amanti, quamvis illum sibi subordinet. Porro de hoc amore amicitiae erga Deum affirmamus 1) quod possibilis est: 2) quod ex divina revelatione eius notio hauritur.

I. Constat ex Tractatione De Gratia Dei nomen *caritatis* penes Augustinum sub uno conceptu generico plures specie diversas significationes habere: idem porro dicendum de nomine *amoris* erga Deum, quod multipliciter exponi potest. Amor per se sumptus, prout est primus actus, qui in voluntate existit ex cognitione boni, (s. Thom. 1.^o 2.^{ae} q. XXVI, a. 2^o) est *complacentia boni*, quae est adhuc amor rudis et inchoatus. Cum vero voluntas illud bonum, quod placet, vel ad se vel ad alterum refert, dicitur proprie *amare*, quod est velle bonum alicui.

Iam vero voluntas multipliciter dici potest velle bonum Deo. Sane cum voluntas vult id quod redundat in obsequium et honorem Dei,

cuiusmodi est observatio legis, vult id, quod est bonum extrinsecum Deo. Quamvis ergo id velit propter motivum prorsus diversum a motivo amoris Dei, puta ex timore poenarum; quia tamen vult id, quod est bonum Deo atque id in Deum tanquam in finem tandem refert, dici potest velle bonum Deo, ideoque hoc sensu dici potest amare Deum. Hic non est amor *formalis*; quia illa voluntas servandae legis ex timore poenae non est actus amoris, sed est amor *materialiter*; quia voluntas vult id, quod est materia actus amoris. Est praeterea actus amoris *virtualis*, non quidem ratione perfectionis actus, quatenus ea voluntas in sua perfectione contineat perfectionem actus amoris, sed *ratione rei volitae*, quatenus volens observare legem Dei, vult non tantum referre actus suos in Deum ut in finem, sed vult quoque diligere Deum; nam et dilectio Dei praecepta est.

Amor autem formalis huiusmodi esse potest, ut placeat nobis Deus eique bonum velimus, eius gloriam appetentes, sed tamen affectu adhuc inefficaci, qui sit potius velleitas quam voluntas. Huiusmodi amorem quisque in se aliquando experiri potuit, quo in Deum animus fertur, nondum tamen eius vi potens omnia adversantia fortiter superare, h. e. nondum Deum super omnia diligens. Hunc esse amorem putamus, de quo loquitur s. Thomas q. V. Suppl. a. 3: « Amor potest esse ita remissus, quod non sufficiat ad rationem caritatis ». Liqueat per hunc actum non praeferrari aliquid Deo, sed tantum per eum actum nondum animum praeferrari *efficaciter* Deum omnibus; quod tamen non impedit quominus habitualiter, aut per actus ex aliis motivis determinatos animus Deum omnibus rebus praeferat.

Amor vero efficax et inefficax (satis autem nunc erit loqui de efficaci) duplex rursus esse potest, dividique solet in amorem concupiscentiae et amorem amicitiae. Amor dicitur concupiscentiae, quo Deus diligitur quatenus est bonus nobis. Deus enim, cum sit bonus in se ipso et bonus nobis, sub utroque respectu diligi potest. Difficultas quidem est quoad priorem amorem, verum haec solvetur paulo post, cum de eo speciatim disseremus.

II. Nunc de amore Dei prout est bonus nobis. Huius autem affirmamus distinguendum esse duplicem modum; nam quoniam Deus obiectum est nostrae beatitudinis, duplici modo ferri potest amor noster in huius beatitudinis obiectum. Primo quidem quatenus directe diligimus nostram beatitudinem, prosequentes beatitudinem nostram affectu respondente illi, quo abhorremus ab aeterna miseria inferni. Novimus quidem beatitudinem nostram obiectivam esse Deum; at in hoc amore, quo nostram tantum beatitudinem appetimus felicesque esse volumus, divinae perfectio bonitatis se habet